



Universitätsbibliothek Paderborn

**Symbola Trinitatis, Id Est Trinitatis diversarum rerum, ex
Veteris ac Novi Testamenti Scripturis, Historijs &
exemplis; nec non congruentioribus rerum naturalium
similitudinibus conscripta ...**

Duplan, Theodore

Ruraemundae, 1663

45. Triplex corona in mitra Rom. Pont.

urn:nbn:de:hbz:466:1-12221

(142)

Conjugij socialis amor sua carmina promit,
Et consorte thori dat viduatus amor.

(a) Ter-castę Triadi grati modulatur amoris
Cantica liligeri candidus ordo chori.

(a) Vide qua diximus pag. 61. in additione symb. 13.

SYMB. de eodem.

DElicijs spretis prostratā cypride, mentem

Exigit intactam, virginitatis honos.

Stat viduis, junctisquè thoro sua gloria victæ

Carnis, at intactā virginitate minor.

Donz pudicitię tria dat Trias una petenti,

Carne dat edomitā, vivere mente, Deo.

SYMBOLUM 44.

Tres colores in scapulari Confraternitatis SSS. Trinit. Albus,
Cæruleus, Ruber.

DEnotat intinctus, candor, princepsquè colorum,

A nullo genitum principiumquè Patrem,

Reddidit in numero liventem vulnere Natum

Unigenam Patris, livor, apella, tuus.

Thuricremos nostris inspirans mentibus ignes,

Purpureo sacrum Pneuma colore rubet.

SYMBOLUM 45.

Triplex corona in Mitra Romani Pontificis.

ROma vides Patrem terris ereboquè verendum,

Augustā ut Triadis symbola fronte gerit.

Z

Sum.

Summa triplex uni terris concessa potestas,
Ter geminum cingit cui diadema caput.
Pascit oves, agnosque sovens secesserit ab hædis,
Tollere sollicitus pastorin astra gregem.

SYMBOLUM 46.

Tres Coronæ Romani Imperatoris, quibus olim in tribus civitatibus coronabatur. *Comment. Bull. aur. et alijs.*

FErrea prima datur ferro quia forte paranda,
Aut subeundus erit ferreus ante labor.
(a) Altera succedit melior Candore Metalli,
(b) Terna magis fulvo tincta Colore placet.
Hoc decus unde triplex? venit a Tri-coronide, Cæsar,
Majestate, tuis trinæ corona comis.

Lege Guil. Beeck in Hist. Aquenſi. (a) secunda Argentea. (b) Tertia aurea.

SYMBOLUM 47.

Episcopus a tribus alijs Episcopis consecratus, donatur Mitrâ,
Infulâ, pedo.

ATripli Antistes sacratur Præsule, summe
Quo Triadi summus conciliatur honos.
Mitra caput decorans Patrem sub imagine signat,
Infula sub carnis veste latere Deum,
Spiritus in formâ flammæ, niveæ quæ columbæ,
Eminet aurato Præsulis ipse pedo.

SYMBOLUM 48.

Tres præcipue honorandi, Deus, Præceptor, Parentes.

TRes sunt quos homini venerari convenit omni,
Nempè Deus, Doctor pubis, uterquæ parens.

(a)